

1379 las infidiis excipiendas Victoris Pisani ductu domo profecta, in cannetis turri circumjectis occulte confederant. Ea suis signis prodita ubi Ligur procul conspexit, fugam subito capeffens, Clodiam versus innitens remis abiit. Venetus, quia fugientem hostem persequi non potuit, per stagna quæ minora navigia ferebant, Clodiam celeri cursu prævectus, præsidium Salinarum quæ urbi adjectæ sunt, repente opprimit: inde urbem ipsam tumultuose adortus, ingentem intulit hostibus terrorem: circa Marianam portam omnis impetus incubuit. Et jam in ipsis canalibus res gerebatur, quum subito tres illæ triremes circumactæ affuere. Hic hoste a fronte, a tergo, a lateribus incurfante, coactus est Venetus trepide se ad signa recipere. Cecidit ea pugna Contareni Principis gener, juvenis impiger, ex Gradonica familia: alii etiam non pauci cum navigiis octo ab hoste intercepti. Sic re parum feliciter gesta, domum classis reducta est. Nec multos post dies naves quæ frumentatum iverant, Clodiam venerunt. Tum vero cognitis, quæ se absentibus gesta essent, statuunt Clodiam communire, æquatis solo ædificiis, quæ salinis circumjectæ erant, quæque extremis mœnibus hærebant. Aream ad hæc quæ media ferme urbe patet, & quicquid undique areæ domorum adjacet, summa ope communiunt: occlusis cementicio muro viis ad aquam ferentibus, circumductoque in speciem muri vallo cum propugnaculis & ligneis turribus, pontibusque introrsum duplici serie ad propugnatorum usum discurrentibus. Interim, quia per exploratores cognoverant, Carolum Zenum cum classe quæ foris erat, nondum venisse, nihil minus quam hostium adventum metuentes (quos nihil utique ante illius reditum moturos apparebat) ipsam belli sedem commeatu & operibus per ocium instruebant.

*Caroli Zeni
gesta in Su-
pero & In-
fero mari.*

Carolus, ut dixi, cum triremibus quinque sub id tempus, quo ad Polam a Pisano male pugnatum est, domo digressus, insulanas naves circa Siciliam nactus, quarum pleræque frumento multiplicique commeatu plenæ Genuam cursum intenderant, in suam potestatem redegit. Ex his
sum-